

LIBER SEPTIMUS

In libro septimo leges proponuntur, quibus jura declarantur et vindicantur, quoniam praescribuntur regulae de modo procedendi in negotiis ecclesiasticis non solum iudiciali sed etiam extra-iudiciali.

Liber dividitur in quinque partes, quarum prima agit de iudiciis in genere, secunda de iudicio contentioso, tertia de quibusdam processibus specialibus, quarta de processu poenali, quinta de modo procedendi in recursibus administrativis et particulatim in parochis amovendis vel transferendis.

PARS I
DE PROCESSIBUS

De iudiciis in genere (1400-1403)

Ex canone 1552, par. 1, Codicis 1917 «nomine iudicii ecclesiastici intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia jus habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio».

Legalis haec definitio continet omnia elementa iudicii: obiectum, subiectum passivum et activum ac formam.

Iudicium dividitur in contentiosum, quod versatur circa jura persequenda, vindicanda aut circa facta iuridica declaranda, et in poenale, quod versatur circa delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam. Dividitur praeterea in ordinarium, in quo servantur leges iudiciales Codicis et in speciale seu extraordinarium, in quo servantur leges iudiciariae extraordinariae.

Obiectum iudicii in genere esse possunt:

- jura personarum physicarum vel moralium persequenda aut vindicanda vel facta iuridica earundem personarum declaranda;
- delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam.

Controversiae ex actu potestatis administrativae deferri possunt ad Superiorem vel ad Tribunal administrativum.

Jure proprio et exclusivo Ecclesia cognoscit de causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas; de violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus ratio peccati inest.

Omnia Ecclesiae Tribunalia canonibus Codicis reguntur, salvis normis Tribunalium Apostolicae Sedis: Romanae Rotae et Supremi Signaturae Apostolicae.

Peculiaris lex pontificia causas canonizationis Servorum Dei regit.

ANNOTATIO: Privilegium fori in novo Codice locum non habet, nec praeventione gaudent causae mixti fori in quibus Ecclesia simul ac civilis potestas aequae competentes sunt. Normae peculiariae tantum et unice pro Tribunalibus Apostolicae Sedis servantur.

De foro competenti (1404-1416)

Competentia est potestas Tribunalis quam relate ad causam sibi propositam habet. Defectus competentiae incompetentia dicitur, quae absoluta vel relativa esse potest: absoluta, iudicium reddit ipso facto nullum nullitate insanabili; relativa, illicitam iudicis actionem facit. Igitur forum competens aut incompetens est locus in quo Tribunal relate ad iudicium propositum potestatem habet vel minus quoad certas causas.

Nullum existit forum competens in Romanum Pontificem, sive in contentiosis sive in poenalibus, unde Prima Sedes vel Eius Tribunalia «a nemine iudicantur». Quam ob rem acta et decisiones ex parte iudicum inferiorum pro infectis habentur. A solo Romano Pontifice in causis de quibus in canone 1401 iudicantur: Ii qui supremum principatum tenent, Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi in poenalibus, causae quas Ipse ad suum advocaverit iudicium.

Iudex de actu vel instrumento a Romano Pontifice in forma specifica confirmato videre potest, si Ipsius praecesserit mandatum.

Tribunali Romanae Rotae reservetur iudicare Episcopos in contentiosis, Abbatem primatem vel Abbatem superiorem Congregationis monasticae, Moderatorem supremum Institutorum religiosorum juris pontificii, dioeceses aliasve personas ecclesiasticas – sive physicas sive iuridicas – quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent.

In causis supra dictis incompetentia aliorum iudicum absoluta est.

Circa fori competentiam, in prima instantia secuta observantur:

1. Ratione domicilii, iudex apud quod quilibet domicilium vel quasi domicilium habet. Vagus proprium forum habet in loco ubi actu commoratus. Pars conventa, cuius neque domicilium aut quasi domicilium neque locus commorationis nota sint, forum partis actricis.

2. Ratione rei sitae, iudex loci ubi res litigiosa sita est.

3. Ratione contractus, iudex loci in quo contractus initus est vel adimpleri debet, nisi partes concorditer aliud Tribunal elegerint.

4. Ratione delicti, iudex territorii in quo actus delicti positus est.

5. In causis quae versantur circa bonorum administrationem, iudex territorii ubi administratio gesta est.

6. In causis quae respiciunt hereditates aut legata pia, iudex loci domicilii testatoris, nisi agatur de mera executione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.

Actor sequitur forum partis conventae, quia pars conventa iudicanda est et proinde adire debet illum iudicem qui auctoritatem habet in partem. Quod si pars conventa multiplex forum habeat, optio fori actori conceditur.

Ratione connexionis seu continentiae, causae ab uno iudice expediuntur et in eodem processu, nisi legis praescriptum obstat.

Si duo vel plura sint Tribunalia legitima circa eandem causam, jus iudici est cognoscendi quod prius citatione partem conventam legitime convenit (v.g. forum praeventionis seu litispendentiae).

Competentiae conflictus inter Tribunalia subiecta eidem Tribunali appellationis ab hoc Tribunali solvuntur; si autem eidem Tribunali appellationis non subsint, a Tribunali Segnaturae Apostolicae.

De variis tribunalium gradibus et speciebus (1417-1445)

Romanus Pontifex supremus iudex immediatus est omnium fidelium et ideo integrum est cuilibet fidei causam suam, sive contentiosam sive poenalem, in quolibet iudicii gradu et in quovis litis statu cognoscendam ad Sedem Apostolicam deferre vel apud Eandem introducere. Recursus tamen non suspendit – excluso casu appellationis – exercitium iurisdictionis in iudice, qui causam iam cognoscere coepit

per citationem; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constituerit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse.

Jus habent Tribunalia in auxilium vocandi aliud Tribunal quoad causam instruendam vel actus intimandos.

DE TRIBUNALI PRIMAE INSTANTIAE

Tribunalia, quae designant loca in quibus sententiae iudiciales redduntur, dividuntur in: Tribunalia Sedis Apostolicae et Tribunalia dioecesana; Tribunalia primae et secundae instantiae; Tribunalia ordinaria et Tribunalia iudicum delegatorum sive a Sede Apostolica sive ab Ordinariis; Tribunalia singularia vel collegialia.

DE IUDICE: In singulis diocesis iudex primae instantiae est Ordinarius loci, qui potestatem iudicariam exercere potest sive per se sive per alios. Si vero agatur de juribus aut bonis temporalibus personae iuridicae ab Episcopo repraesentatae, in primo gradu iudicat Tribunal appellationis.

Ad Tribunal dioecesanum, quod iudicat pro omnibus causis a jure expresse non exceptis, personae pertinentes sunt: Vicarius iudicialis seu Officialis, plerumque distinctus a Vicario generali, ab Episcopo constitutus cum potestate ordinaria; auditores et relatores; promotor iustitiae et defensor vinculi; notarius.

Vicarius iudicialis, qui unum Tribunal cum Episcopo constituit et nequit iudicare causas quas Episcopus sibi reservat, adhibere potest auditores, quibus nomen est vice-officialium seu vicariorum iudicialium adiunctorum.

Vicarius iudicialis et vice-officialis esse debent sacerdotes, integrae famae, in jure canonico doctores vel saltem licentiati, annos nati non minus triginta. A munere non cessant sede vacante nec ab Administratore dioecetano amoveri possunt, autem confirmatione indigent a novo Episcopo.

In qualibet dioecesi Episcopus praeterea iudices constituat, ut partem habeant in litibus iudicandis. Iudices esse debent probatae

vitae, in iure canonico periti, presbyteri aut etiam laici, si Conferentia episcoporum id permittat.

Tum Vicarius iudicialis, tum Vicarius iudicialis adiunctus, tum ceteri iudices inamovibiles sunt, nisi ex legitima gravique causa, et ad definitum tempus nominantur.

Probante Sede Apostolica, plura dioecesana Tribunalia in unicum Tribunal primae instantiae coniunguntur vel ad causas quaslibet vel ad aliqua tantum causarum genera.

Iudex unicus in quolibet iudicio duos assessores asciscere potest.

Tribunali collegiali trium iudicum reservantur:

– Causae contentiosae de validitate vinculi sacrae ordinationis et matrimonii;

– Causae poenales in quibus res et de privatione status clericalis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione.

Tribunali collegiali quinque iudicum reservantur causae difficiliores vel maioris momenti, quas Episcopus autem committere potest iudicio trium iudicum.

Tribunal collegiale procedere collegialiter debet et per maiorem suffragiorum partem sententias ferre.

Nisi ex gravissima causa, iudices designatos ne subroget Vicarius iudicialis.

Si causa agitur inter religiosos eiusdem religionis, iudex est Superior provincialis vel Moderator superior vel Abbas superior pro duobus monasteriis.

In aliis omnibus causis in quibus agunt personae diversorum Institutorum religiosorum vel religiosi cum clericis seu laicis, iudex primae instantiae est Tribunal dioecesanum.

ANNOTATIO: Laici admissi ad iustitiam administrandam.

DE AUDITORIBUS ET RELATORIBUS: Auditor est clericus vel laicus, ex Tribunalis iudicibus selectus aut ex personis ab Episcopo approbatis, qui iurisdictione munitus est ad testes citandos et audiendos aliaque acta iudicialia instruenda, iuxta tenorem mandati ex parte iudicis, qui causam cognoscit. Eius munus est processum praeparare ideoque iudex instructor vocatur.

Relator seu ponens est iudex a praeside Tribunalis collegialis e Collegio designatus, ut apud iudices in causam suam conclusionem motivis probatam breviter exponat et sententiam in scriptis redigat.

Ex iusta causa a praeside removeri potest.

DE PROMOTORE IUSTITIAE, VINCULI DEFENSORE ET NOTARIO: Promotor iustitiae et defensor vinculi sunt sacerdotes aut laici integrae fama, in iure canonico periti ac prudentia et iustitiae zelo probati, ab Episcopo constituti: Primus ex officio in causis contentiosis bonum publicum vel jura Ecclesiae defendit et in causis poenalibus officium accusatoris publici suscipit.

Alter vero in causis ordinationis aut matrimonialibus validitatem vinculi contra accusatorem defendit.

Per se, nihil prohibet quin eadem persona utroque hoc officio fungatur, non autem in eadem causa.

In causis in quibus eorum praesentia requiritur acta non valent nisi legitime citati fuerint, sed eorum praesentia – etsi non legitime citati – non irrita acta reddit. Constitui possunt tum ad universitatem causarum tum ad singulas causas; removeri autem possunt iusta de causa.

Quia tum promotor tum defensor partes in causa habent, iudex eos audit quoties lex praecepit.

Notarius, qui communiter actuarius dicitur, deputatur ad acta iudicialia exaranda. Acta ab ipso conscripta publicam fidem faciunt.

DE TRIBUNALI SECUNDAE INSTANTIAE

Iudex secundae instantiae est:

- Pro dioecesibus suffraganeis, Metropolitana.
- Pro Metropolitana primae instantiae, Tribunal quod ipse stabiliter designavit, probante Sede Apostolica.
- Pro causis inter religiosos coram Superiore provinciali actis, Tribunal secundae instantiae est penes supremum Moderatorem; pro causis actis coram Abbate locali, penes Abbatem superiorem Congregationis monasticae.

– Pro unico Tribunali plurium dioecesium, Tribunal ab episcoporum Conferentia constitutum cum assensu Sedis Apostolicae.

In constitutione et modo agendi Tribunalis secundae instantiae normae propositae pro Tribunali primae instantiae adhibendae sunt.

Praescriptis supra dictis defectis, absoluta iudicis incompetencia est.

DE APOSTOLICAE SEDIS TRIBUNALIBUS

Romanus Pontifex ob suum primatum potest quaslibet causas iudicare aut ad se advocare per se vel per ordinaria Sedis Apostolicae Tribunalia vel per iudices a se delegatos.

Tribunalia ordinaria Sedis Apostolicae, a Romano Pontifice constituta, sunt: Romana Rota et Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal.

Tribunal Romanae Rotae, quod appellationes recipit, iudicat:

– in secunda instantia causas diudicatas ab ordinariis Tribunalibus;

– in tertia instantia causas cognitatas ab ipsa Rota aut ab aliis quibusve Tribunalibus, nisi res iudicata habeatur;

– in prima vel secunda vel tertia instantia causas dioecesium sive aliarum personarum ecclesiarum, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent vel illas advocatas a Romano Pontifice.

Hoc Tribunal constat certo praelatorum numero, qui auditores vocantur et per singulos turnos procedit secundum normas sibi in normis propriis statutas.

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal cognoscit:

– querelas nullitatis, petitiones restitutionis in integrum, et recursus contra sententias rotales;

– recursus in causis de statu personarum, non admissi ad novum Romanae Rotae examen;

– exceptiones suspicionis contra auditores rotales in exercitio ipsorum muneris;

– conflictus competentiae inter Tribunalia eidem Tribunali appellationis subiecta.

Tribunal quoque iudicat res contentiosas ex actibus potestatis administrativae, controversias administrativas delatas, conflictus competentiae inter romanae Curiae dicasteria.

Ipsam Tribunal constat nonnullis Cardinalibus, qui operam suam praestant in collegiis, alterum a votantibus nuncupatum, alterum a referendariis, secundum regulas Tribunalis proprias.

Tribunal Signaturae Apostolicae duabus Sectionibus constat.

Supremi Tribunalis denique est: recte administrationi iustitiae invigilare, Tribunalium competentiam prorogare, erectionem Tribunalium promovere et approbare.

De disciplina in tribunalibus servanda (1446-1475)

Titulus tertius agit de obligationibus quae iudici et ministris Tribunalis incumbunt ut sententia rite et prompte ferri possit.

Prima omnium christifidelium – in primis autem Episcopi – obligatio interim est ut lites vitentur et pacifice quam primum componantur, ita ut in limine litis et etiam quolibet alio momento iudex teneatur indicere solutiones aequas ad controversias dirimendas. Deinde, qui causae interfuit tamquam iudex, promotor iustitiae, defensor vinculi, procurator, advocatus, testis aut peritus, nequit valide postea definire eandem causam in alia instantia aut munus assessoris sustinere.

Iudex, promotor iustitiae et defensor vinculi ab officio abstinere debent in causa in qua ratione consanguinitatis, affinitatis, amicitiae vel inimicitiae, lucri faciendi aut damni vitandi, tutelae et curatelaе, alterutri parti suspecti esse possunt. Nisi iudex, promotor et defensor ipsi abstineant, exceptio suspicionis iudicanda Episcopo vel Vicario iudiciali committitur, et expeditissime definienda est.

In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis; causa introducta, ex officio procedit in causis poenalibus aliisque quae publicum bonum aut animarum salutem respiciunt.

Salva iustitia, iudices et Tribunalia curent ut quamprimum omnes

causae terminentur, utque in Tribunali primae instantiae ultra annum non protrahantur, in Tribunali vero secundae instantiae ultra sex menses.

Omnes, qui Tribunali opem ferunt, iuramentum praestare debent de officio rite implendo, tenentur ad secretum officii et ad abnuentiam accipere quaevis dona vel pecuniae summam.

ANNOTATIO: Tempus causae absolvendae brevius factum est.

DE ORDINE COGNITIONUM

Principium generale est causas eo ordine iudicandas esse quo fuerunt propositae, nisi iudex aliquam prae ceteris esse expediendam compererit et peculiari decreto statuerit.

Apte opus est respicere litis contestationem, uti punctum fundamentale in processu iudiciali adeo ut nonnullae quaestiones proponendae sint antea vel postea. Quare exceptiones oriuntur, quae dilatoriae appellantur, si iudicium intendant differre, aut peremptoriae, si jus actoris perimunt seu eius actionem excludunt in perpetuum.

Omnia vita, quae sententiae nullitatem efficiunt in quolibet iudicii statu vel gradu, excipi possunt, itemque ex officio. Eae, quae personas et modum iudicii respiciunt, proponendae et cognoscendae sunt ante litis contestationem, nisi contestata iam lite primum emergerint.

Exceptio de incompetencia iudicis ab ipso iudice definitur.

Exceptio de incompetencia relativa duo momenta habet:

- Iudice competente, eius decisio appellationem non admittit, at non prohibetur querela nullitatis et restitutio in integrum;
- Iudice incompetente, pars provocare potest appellationem intra quindecim dies.

Iudex in quovis stadio causae suam incompetenciam absolutam declarare debet cum se incompetentem agnoscit.

Exceptiones peremptoriae seu litis finitae proponendae et cognoscendae sunt ante litis contestationem, at posthac prohibitae non sunt. Si autem agatur de ceteris peremptoriis, proponantur in contestatione litis.

Actiones reconventionales, quae a reo instituuntur contra actorem ad submovendam vel minuendam eius petitionem, intra triginta dies a lite contestata proponantur et cognoscantur simul cum conventionali actione, nisi eas separatim cognoscere necessarium vel opportunum sit.

Ad ultimum, quaestiones de cautione praestanda pro expensis iudicialibus aut de gratuiti patrocinii concessione regulariter videndae sunt ante litis contestationem.

ANNOTATIO: Propositio actionis reconventionalis intra triginta dies, quin etiam post litis contestationem et ante sententiam tamen.

DE TERMINIS ET DILATIONIBUS

Dilatio in iure significat tempus partibus statutum ad actum iudicalem faciendum, cuius temporis fines termini dicuntur.

Dilatio et termini fatalia legis vocantur, si iure determinantur (Vermeersch-Creusen, *Epit. jur. can.*, tom. III, pag. 36).

Termini dicuntur iudiciales qui ab iudice finiuntur, conventionales qui a partium conventionione.

Fatalia legis prorogari non possunt, unde venit eorum nomen; alii termini, nondum elapsi, ex iusta causa ab iudice prorogari possunt, auditis vel petentibus partibus. Termini haud statuti ad actus processuales ab iudice praefiniti sunt.

Si terminus in diem feriatam inciderit, intellegitur prorogatus ad primam diem sequentem non feriatam.

DE LOCO IUDICII

Uniusque Tribunalis aula sit, in qua dies et horae iudiciis habendis sunt designandae et christifidelibus licet quovis tempore iudicis ministerium invocare.

Si iudex a territorio vi expulsus sit vel in eo a iurisdictione exercenda impeditus, extra territorium suam potestatem exercere potest, certiore tamen hac de re facto Episcopo dioecetano. Pariter ex iusta causa et auditis partibus iudex extra proprium territorium se

conferre potest ad probationes acquirendas, de licentia tamen Episcopi loci.

DE PERSONIS IN AULAM ADMITTENDIS ET DE MODO CONFICIENDI ET CONSERVANDI ACTA

Generatim in Tribunali ecclesiastico causae coram extraneis non aguntur, sed eae tantummodo personae admittuntur quas ad procesum expediendum lex aut iudex necessarias esse aestimaverit.

Iudici potestas est continere assistentes in debita reverentia erga Tribunal.

Omnes declarationes scripto redigantur.

Interpres iuratus adhibendus est, si sermo alicuius personae in iudicio vocatae non intellegatur vel si surdus aut mutus interrogari debeat.

Acta iudicialia subscriptione et sigillo authenticitatis constare debet.

Documenta, quae in privatorum dominio sunt, restitui debent.

Ante finem iudicii exemplar actorum documentorumque, quae processui acquisita sunt, sine iudicis mandato notarius et cancellarius tradere nequeunt.

In casu appellationis, exemplar actorum authenticatum admittatur ad Tribunal superius.

De partibus in causa (1476-1490)

DE ACTORE ET DE PARTE CONVENUTA

Quilibet, sive actor sive pars conventa, agere potest in iudicio et comparere debet, quotiens id jure definitur vel a iudice exigitur.

Infantes, minores, interdicti, personae morales semper agere debent per parentes, tutorem, curatorem et administratores seu repraesentantes.

Quotiens tamen conflictus inter jura repraesentati et repraesentantis existit, procurator vel curator a iudice designatur.

In causis spiritualibus et cum spiritualibus conexis, minoribus – si aetatem quattuordecim annorum expleverint – licet agere et respondere sine parentum vel tutoris consensu.

Curator civilis interdictis datus eorum nomine agere vel respondere non potest nisi accesserit consensus Ordinarii, cui licet alium curatorem nominare.

Quoad personas morales, ipse Ordinarius per se vel alium in iudicio potest stare nomine earum quae sub sua potestate sint, in casu defectus vel negligentiae repraesentantis.

ANNOTATIO: Desunt interclusiones Codicis 1917 quoad non baptizatos, religiosos, beneficiarios, excommunicatos et personas morales ab Ecclesia non comprobatas.

DE PROCURATORIBUS AD LITES ET ADVOCATIS

Partes libere possunt advocatum et procuratorem constituere.

Advocatus est persona quae partes in iudicio praesentes consilio et opera tuetur. Procurator est qui ad causas alieno nomine in iudicio tractandas constituitur et litigantem absentem repraesentat.

Nisi iusta causa suadeat, unus eligi potest procurator; advocati autem plures simul constitui possunt.

Advocatus necessarius est in iudicio poenali et etiam in iudicio contentioso, si agatur de minoribus, aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur; unde – si pars careat avvocato – iudex ex officio attribuat.

Procurator et advocatus esse debent aetate maiores, bonae famae. Advocati debent praeterea esse doctores in iure canonico vel vere periti, catholici, mandato praediti, nisi Episcopus dioecesanus aliter permittat. Munus cessat per reiectionem a iudice iusta de causa, per remotionem factam ab eo a quo constituti sunt, per latam definitivam sententiam, etsi jus tamen et officium appellandi habeant si mandans non renuat.

Tum procuratori tum avvocato vetatur emere litem aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci, subtrahere causas a competentibus Tribunalibus in fraudem legis, offi-

cium prodere ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem. Quod si haec perfringant, a patrocinio exercendo suspendantur et mulcta pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur.

Quatenus fieri possit, stabiles patroni in unoquoque Tribunali constituantur.

De actionibus et exceptionibus (1491-1500)

DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS IN GENERE

Quia vero non omnia jura necessario lege proteguntur neque omnes personae in omni iudicio jura sua prosecui possunt, a jure controverso distinguendum est medium, quod actio vel exceptio vocatur, quo licet illud Auctoritate publica prosecui.

Actio est jus perseguendi in iudicio jura sibi debita contra adversarium determinatum. Exceptio sensu lato significat quamlibet defensionem a parte actrice vel conventa oppositam.

Quaecumque omnes actiones, iis exceptis quae de statu personarum agunt, praescriptione extingui possunt. Exceptiones natura perpetua sunt, salvo praescripto canonis 1462.

Actori licet plures actiones in eodem iudicio cumulare, quae tamen inter se non confligant, sive de eadem re sive de diversis, et non egrediantur competentiam aditi Tribunalis.

Actio, quam pars conventa coram eodem iudice in eodem iudicio instituit contra actorem vel propter causae nexum cum actione principali vel ad submovendam aut minuendam eius petitionem, dicitur reconventio. Ea proponenda est iudici coram quo actio principalis instituta est.

Etsi actori reconvento omnis species exceptionis competit, reconventio reconventionis non admittitur.

ANNOTATIO: Duas reconventiones distinguimus: unam conexam ad causam principalem, a Codice 1917 numquam consideratam; alteram ad submovendam vel minuendam actoris petitionem.

DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS IN SPECIE

Actionum numerus est infinitus. Inter multas, Codex in hoc capite recenset actionem ad sequestrationem rei et ad inhibitionem exercitii iuris.

Sequestratio et prohibitio utendi jure controverso obtineri potest actione iudiciali ut si quis jus satis habeat et sibi damnum imminet ubi timetur, id possit aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offeratur.

Sequestratio extendi potest apud tertias personas quae bona custodit et ad debitoris credita.

Petitori sequestrationis vel exercitii iuris inhibitionis iudex prae-viam cautionem imponere potest.

Quoad actiones possessorias, servantur praescripta juris civilis loci.

ANNOTATIO: Novus Codex abrogavit actiones ex novi operis nuntiatione et damno infecto; transtulit in alium locum actiones ob nullitatem actorum et actiones rescissorias necnon de restitutione in integrum; coegit in principia generalia tituli V actiones reconventionales et de mutuis petitionibus; remisit ad leges civiles loci actiones seu remedia possessoria.